Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 353
Quelle:
Copyright:

est circumstantie. Hoc est. Quis. Quid. Cur. Quomodo. Quando. Ubi. Quibus facultatibus. Haec igitur circa *Sedulium* examinantur. Dicitur *primo laicus in italia philosophiam* didicisse, docuisse in *achaia*, ibique Opus nostrum edidisse imperatoribus *minore Theodosio filio Archadii*, et *Valentiniano filio Constantini* (l. Constantii), addit: *Sicut in catalogo illustrium repperimus quem beatus ieronimus inchoauit, paterius uero discipulus eius perfecit. Gregorianum* discipulum *Paterium* novi, *Hieronymianum* ignoro. Addit etiam: *Turcium Rufinum Asterium* hoc Opus a morte *Sedulii* indigestum et in chartulis relictum recollegisse, adunasse et ad omnem elegantiam diuulgasse, refertque ejus Ogdostichon: *Sume sacer meritis* &c. quamvis mendosum, quod melius *Sirmondus* in *not.* ad *Epistolas Ennodii*, et deinceps alii vulgavere, ut habes apud *Leyserum* in *Hist. Poet. med. aevi* p. 72. Et jam: *Incipit apologeticus prologus sedulii rethoris. Domino meo sancto ac beatissimo patri macedonio presbitero sedulius in christo salutem. Priusquam me uenerabilis pater operis nostri decurso uolumine* &c. ut *Bibl. PP. Lugd.* T. VI. p. 458. et alias, velut dixi *Vol. suprac.* Offert Poema suum *Macedonio*, quomodo igitur *Asterius* illud primum e chartulis relictis collegit? *Quatuor mirabilium diuinorum libellos* vocat, sive *Carmen pascale*, nulla Vet. Testamenti facta mentione, quomodo igitur *Isidorus* et *Honorius Augustod.* tres, Anonymus *Mellic.* duos, *Bellarminus* quinque facit? An *Prologum* hunc non legerunt? Quanquam, si ea, quae de V. T. sunt, cum *Codice* nostro *Librum* I. facias, rite *Libros* V. censueris. *Prologum* excipit Elegia: *Pascales quicumque dapes* &c. et *Prefatio Sedulii*, nempe: *Cum sua gentiles* &c. tum *Oratio sedulii uel inuocatio poete*, videlicet: *Omnipotens eterne deus* &c. et sic deinceps singulae Librorum Περιχοραι miniatis inscriptionibus distinguuntur. Lectio parum variat a *Bibl. PP. cit.* In *Praefat.* pro *domumque tonantem* rectius noster *dominumque*, item *athenei fetorem* pro *pædorem* habet. Libri ita dividuntur, ut unus sit V. T. et quatuor Novi, prout in *Cod. Vol. I. suprac.* Libri III. Versus ult.

Cui sanctus semper conregnat Spiritus aeque,

nobis deest, et fortasse non nisi adventitius est. Totus ceterum Textus non tantum Glossis interlinearibus scatet a manu συγγχρονῳ, sed etiam Scholiasten habet non ineruditum. Ita v. g. *fol.* 26. ad verba L. III. *Repperit esuriens lustrato stipite pomum*, commentatur: *Stipes est proprie truncus arboris, de quo rami procedunt. Hic autem stipitem pro tota arbore posuit. Pomum omnes fructus appellamus, qui molli corio teguntur, sicut nuces, qui duriore teguntur, ut sunt nuces iuglandes et nuces amigdaline et nuces persice,*